

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 70.

---

#### *Politica Mortuorum Colloquia.*

---

Elysium-Meum.-Die Veneris 6 O<sup>o</sup>. 1809. (Neov. 19. Sept. 1809.)

---

Beati pauperes spiritu.  
Catechis.

*Sermocinantes Manes.*

*Ignorantia. Scientia. (personificata.)*

*Scientia.* Spero equidem a te prærogativam, quam in quibusvis Universitatibus, Academiis, Lyceis Gymnasiis, ludis elementaribus ac pædagogicis adeptus sum, haud controversum iri. —

*Ignor.* Contravertere? hoc quidem nec in primo unquam mentis conceptu habui. Ego mater sum omnis scientiæ, eruditionis, doctrinæ, cognitionum & artium, imo & — masculorum ludicrorum. Inscitia pries erat, quam scientia.

*Scien.* Vah! pudet talis matris.

*Ignor.* Insciens filia! utinam nunquam te genuissem, aut prima luce enecuissem! — erant regni mei tempora — tu hodie sceptrum tenes — in eo jam cardo vertitur: utrius imperio saluti humani generis consultum sit.

*Scien.* Qualis quæstio?

*Ignor.* Est hæc iustis dubiis circumvoluta quæstio. Exempli ergo: *Alexander ne, an Narius Codomannus præstabat scientia?*

*Scien.* Ajo Macedonem. —

*Ignor.* Et ego id nego, pargno — Darius autem splendidam incoluit, orientis Sapientes ad eum educandum operam omnem dederunt; imperium ejus amplo vastoque terrarum spatio continebatur, Alexander contra: in castris Philippi inter arma, & milites educabatur. —

*Scien.* Hæc ipsa ratio est, ob quam peritior artis bellicæ Alexander meus.

*Ignor.* Plus ferocia, quæ strenuitatis basis est — hoc equidem malum asserere. In bello, prout alii vitæ humanæ rebus non semper Scientia dirimit, verum fortuna, quæ sæpe ex fortuito casu promanat, victoriam decidit. Sunt homines: quos in quibusvis negotiis fortuna comitatur, quævis eorum consilia secundum & prosperum exitum sortiuntur. — Contra: alii, utut coepta meditatione, cognitioneque rerum moderentur, adversantem continuo, parumque propitiam fortunam in quibusvis actionibus nanciscuntur, exempla quotidiana suggerit experientia — & hæc ratio est, quod ambigam. Alexanderne, an Codomannus dignus fuerit, ut *albae galliæ filius* esset.

*Scien.* Dictum esto Domina Genitrix! at in cunctis id genus moliminibus *articulus temporis*, quo ea executioni dantur, spectandus est — exemplo rem illustrabo: Mercator certo tempore merces emit, paullopost ex rarescunt, pretioque suo, quia id providerit, aut providere potuerit, inrescunt, lucrum peroi-

pit — alter omnia mundi facta colligit, expendit animo, probabilitatis summam eruit, at cognitione eorum, cunctationeque sua articulum temporis vacillando præteribi, opportunam emitioni occasionem præteriri sinit, in vicem lucri damnum, jacturam, detrimentum patitur. — Jam quæstio oritur: Uter majore pollet cognitione rerum? — Certe posterior, at prior articulum, fortassis inactus, arripuit, & felicior redditus est.

*Ignor.* Hæc quidem aqua ad molam Commodanni mei est!

*Scien.* Minime gentium, amanda mater! Is, qui ad articulum temporis rem dirimeatis omnia præparans, ut omnia opportuno tempore incidant, curat; hic dominus hujus *momenti* est; omniumque judicio felicior, quam is: qui ad id præparandum, id excipiendum, nullam operam, curam nullam adhibet, imo id adprehendere negligit. — Si Darius Alexandrum Granicum trajicientem fudisset, profecto articulo temporis usus, eum debellaturus fuisset, at adeo felix non erat, id est: ad *momentum*, rem dirimentis temporis non omnia præparaverat. Isthic Alexandri ingenium omnia decedit.

*Ignor.* Dicere mallet *fortuna*. —

*Scien.* Novissimum dabo exemplum: Anglorum in Hollandiam expeditionem! Si Angli *momento*, quo nullæ adhuc copię coadunatæ erant, usi, si in vicem: quod oppugnationibus Insularum Selandiæ animos eblectarint, urbem Antverpiam adorti fuissent, profecto

molimen eorum feliciter cessisset; at vero volucrem momenti, lauri insidentem ramo, non adprehenderunt. — Ingenium igitur in contumeliam hinc allegatur, ut seqv. ex *Chronico matutino* de 25. Aug. docet argumentum:

Maxima omnium, quæ unquam Britannicis oris solvit, bellica expeditio, quæ 700 vela censebat, e quibus 100 bellicæ naves, quæ ultra 100,000 mari terraque pugnantes numerabat, expeditio, quæ tanta impensa & sumtu venit, expeditio inquam hæc in prociñdu est Angliam repetendi, quin vel primum expeditionis suæ scopum exequi tentaverit. — 17,000 armati, deæque celoces quindena opus habebant ad Valçaria potiundam; 23000 viri exercitus nec scopum solverunt. Equitatus nec occasionem habuit agendi, pars nec oræ expositi, Classis redit abque una operatione. Unus effectus giganteorum moliminum nostrorum est; quod coram omnibus gentibus, in ipsa opinione nostra nominis diminutionem passi fuerimus. Totum emolumentum, quod cepimus, nec decimam impensæ partem exæquat, si ratio etiam nostra id servare svaderet, & ei servando pareræ foremus, quod aliter est, — quid Ill. *Chatam* interstitio 15—29 Aug. egit? Ex litteris R. *Strachan*, quæ data opera mutilatæ prodire, patet: totum navalem exercitum agendi rationi terrestrium copiarum indignari. — Id læulentissime ex ipso nuncio *Chatami* intelligitur: ministros a principio plena adiutorum, quæ consilia eorum definire, aut actio

res moderari debuissent, ignorantia egisse; videntur ii Antverpiam de integro patentem urbem mente concepisse; nunc a Lordio Chatam melioris edocti sunt. Propemodum existimandum: totum molimen lepidæ opinioni eos superstruxisse: opperiturum usque hostem, quo cuncta adgressionis media adornaverint, ad suam defensionem adornandam. Contenditur: partem exercitus nequaquam Angliam repetituram; sed alteri expeditioni destinari. Non possumus non cogitantes tremere: ministerio præsentem adversum casum, novo quodam desperato ausu corrigendi consilium fore.

Ex adverso legitur in Anglicis paginis de 6. Sept. seqv. Lordii Chatam ad Anglicanum regimen nuncium:

*Batz die 29. Aug.* „Traditæ mihi sunt a Supr. Excub. Præf. & Bradford Dominationis Tuæ de 21. h. m. litteræ eo cum mandato: ut Gen. Duoi Sir Lyre Coote, Gen. Ducibus; reliquisque militaribus Officialibus copiarum obsidioni Vliasingæ adhibitarum, cum primis rei tormentariæ geometricæque Officialibus, adprobationem Sux Maj. significarem; quo ego me mandato exsolvere contendi. — Nuperis litteris consilium meum isthuc concedendi D. T. declaravi; felicemque admodum me censuissem progressus exercitus nunciandi. Infelici fato officii mei est D. T. certiozem reddendi: concordibus, quæ percepi, nunciis, hostem vires cogisse, formidandas satis ad me convineendam: articulum temporis illuxisse, quo secundum mandata mihi data, ne-

cessitas mihi injungitur exercitum meo sub imperio in eo etiam casu, quo inchoatum quodpiam opus prosequeretur, retrahendi.

Adveniens ad Ins. Walchriam jam comperi: hostem in omnibus stationibus conspicuas bellicas vires cogere, at his ego nunciis parum deferendum ratas, in consilio usque perseverandum decrevi, quo ex integro convinceretur: omnem ulterioris molitionis speciem frustraneam esse. Ex omnibus nunciis perceptis intellexi: bellicas hostium vires inter Bergam ad Zomam, Bredam, Lillo, & Antverpiam cum iis, qui ad lævam oram stationem tenebant, minimum 35000 viros complecti, — aliis ex nunciis major adhuc summa indicabatur. Non dubito excensionem in Continentem in effectum deducibilem fuisse, at cum obsidio Antverpiæ, cujus possessio sola ulteriorem Expeditionis scopum explere potuisset, admodum impracticabilis evaserit, excensio sub his adjunctis eo etiam tempore, quo prospere cessisset, diuturnum emolumentum haudquaquam præbisset, receptum exercitus, qui paulo post indeclinabilis fuisset, nimium multis casibus objecisset.

Summa omnium disponibilium copiarum (quæ præterea quotidie defecit) quas imposito sufficiente Insulæ Walchriæ & Sud Bevelandiæ præsidio in campum educere potuissem, circiter 13000 pedit. 2000 equitum constringebatur, cui, si necessarias ad perspicillandas hostiles ad Bergam, ad Zomam & Bredam stationes tuendamque communicatio-

rem  
uno  
suffi  
ribu  
verp  
sima  
fectu  
circ  
torn  
cum

ram  
tion  
mer  
null  
qua  
cog  
adfe  
Reg  
a m  
Cha

vis  
stria  
Dur  
que  
ind  
Ad  
la  
gra  
con  
po  
Wa

nem nostram expediendæ cohortes demantur, uno obtutu perspiciet D. T. quantopere insufficientem futurum fuisset reliquias virium operibus ad Lillo, Lifkensholk cumprimis Antverpiam extendere, quæ secundum exactissimas, quæ percipiebantur, relationes, in perfectissimo defensionis statu est, accedit hæc circumstantia: hostiles naves abductas, & sub tormentorum Castellii præsidio securum ad locum deductas esse.

Sub talibus adjunctis, utut moleste feram, progressus exercitus, qui sua agendi ratione alacritateque amplas adeo spes jure merito excitavit, interceptos cernere, munus nullam aliam viam mihi relinquere sentio, quam operationes meas isthic abrumperem. Ea cogitatio semper animo meo tranquillitatem adferet: exercitus securitatem, bellicamque Regiæ Majestatis gloriam nequaquam temere a me discrimini objectam esse &c. *Subscrib. Chatam.*

*Amstelodamo 14. Sept.* A die 6 h. m. quævis Insulæ Selandiæ, excepta Walchria, a nostris occupatæ sunt copiis. Interim Gen. Dux Dumonceau nunciat: ab Anglis Castrum quoque Ter-Viare Walchriæ desertum esse, certo indicio: eos ei immorandi animo destitui. Ad Cataractam Stoe 6—7 munimenta singula 4 tormentis provisæ habent, defensionis gratia Vlissingæ multæ adhuc vectoriæ naves consistunt, probabiliter eas conscendendi scopo, ubi ex parte aliarum Insularum Selandiæ Walchriam adorti fuerimus.

Certiores facti sumus: ab hoste Vlisin-  
gæ tormenta aliamque bellicam suppellestem  
navibus impositam esse. — Utrum discessu-  
rus, ut communis fert rumor, munimenta  
portumque demoliturus sit, asseverare nequi-  
mus. Id certum: non diu constiturum, ut-  
primum dispositiones ad effectum deduxerimus,

In his adjunctis commercium nostrum in-  
activum est. Interno solo absolvitur.

*Londino 10. Sept.* Litteris privatis Gadibus  
de 26. Aug. edocemur: regimem provisorium  
hispanicum aliam formam nactum esse; su-  
prema Junta dissoluta, 4 solum aut 5 perso-  
næ ex ea novæ regiminis Constitutioni adhi-  
bebuntur. — A. Episcopus Toledanus regens  
regni declaratus, hæc innovatio March. *Wellesley*  
auctorem habet, probante populo; cal-  
let is: Hispaniam magis activo & energico re-  
gimine opus habere. — Suprema Junta natio-  
nis fiduciam amisit, etenim serotina, lenta, im-  
becilla, & virium expers in agendis erat.

Constat: Gen. Ducem *Wellesley* supremum  
hispanicarum & Anglicanarum copiarum Du-  
cem creatum. Id mirum videtur: hanc de-  
nominationem exactis ad *Talaveram de la Reyna*  
locum habuisse.

Copiæ nostræ ex mirabili in Hollandiam  
expeditione revertuntur; multæ legiones in  
portu *Ramsgate* naves jam conscenderunt.

In Jusso diurno Præsidis S. Dominici, *Cri-  
stophori 1. Julii* notabilis victoria memoratur,  
ab eodem sub medium Junii de amulo *Pethi-  
on*, ut dicitur, relata.